DISPUTATIO JURIDICA

De

INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS,

Quam

Divinâ auxiliante gratiâ

Permiſſu ac authoritate Magnifici, Nobiliſſimi & Ampliſſimi JCtorum Ordinis in inclyta & florentiſſima LL. nutrice Salanâ,

Sub Præſidio

Viri Magnifici, Ampliſsimi, Conſultiſsimi & Excellentiſsimi

DN. PETRI THEODORICI, Hereditarii in GrosLöbichaw / JCti & Anteceſſoris eminentiſſimi, Conſiliarii Saxon. ſpectatiſſimi, Facultatis Juridicæ Senioris meritiſſimi, Curiæ Provincialis & Scabinatus Aſſeſſoris graviſſimi, Præceptoris, Patroni, Promotoris ac Hoſpitis ſui, omni obſervantiæ cultu ætatèm devenerandi,

In Auditorio JCtorum ad diem Septembr. horis matutinis publicè ventilandam exhibet

NICOLAUS LINDEMAN,

Françohusâ Thuringus.

Cicero 3. Verrin.

Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac boni viri difficillimè poſſunt.

JENÆ

Sub Chalcographéo Weidneriano,

ANNO M.DC.XXXV.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

DISPUTATIO JURIDICA
De
INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

PROOEMIUM.

CUm ex ſententia & mente Imperatoris Leonis in *Nov.* 46. JCti Ulpiani in *l. hac clauſula* 1. *ff. de ſuſpectis tutor.* & Pauli in *l. legavi* 25 *ff. de liberat. legat.* ea quæ cognitione utiliora, utilitate ponderoſiora, & uſu frequentiora exiſtunt, ſint attingenda: & animus ad ea potiùs quæ frequentèr & facilè, quam quæ perrarò eveniunt, applicandus, *l. nam ad ea* 5. *ff. de LL.* non abs re me facturum arbitratus ſum, ſi in foro frequentiſſimam, & ſcitu ſummè neceſſariam injuriarum materiam, quoad inſtituti ratio & ingenii mei tenuitas permittit, in certa themata redigerem, eademque ſub diſputationis incudem revocarem. Quare citra prolixam hujus materiæ vel à neceſſitate, vel ab utilitate, quam quotidiana experientia, & ipſa praxis, teſtes longè omnium certiſſimi ſatis abundeq; commonſtrant, commendationem *arg. l. utilitas.* 1. *ff. de in integr. reſtit.* ad rem ipſam, præmiſsâ ardenti Numinis divini invocatione, quâ ad omnia cōſilia, omnesq; actus progredimur felicitèr, *l.* 2. *C. de offic. præf. prat. Afric. Nov.* 6. & 164. me accingo. Sit itaq;

MAleficiorum ſeu Delictorum ſumma diviſio hæc eſt, quod alia ſint publica, alia privata, uti conſtat ex *Rubr. tit. ff. de privat. delict.* & *tit. ff. de publ. judic. l. quid ſit fugitivus 17. §. noxas. 18. ff. de Ædilit. edict. l. quoties. 1. §. generaliter. 3. ff. de Pœnis.* hancque diviſionem olim etiam Platoni & Ciceroni placuiſſe refert *Weſemb in paratit. ff. de privat. delict. n. 1.* Publica dicuntur ea, quæ ſpeciali lege conſtituta ſunt, ut de iis publica forma accuſandi, & certa pœna ejuſque executio cuique è populo ad accuſandum idoneo plerumque detur. *l. Prævaricationis. 3 § fin. ff. de Prævaric. l. non omnia. 1. ff. de publ. judic. §. Publica. 1. I. eod. l. quamvis 30. in princ. C. ad L. Jul. de adult. l. ſemper 42. §. ſenatus. 10. ff de ritu nupt.* & *tot. tit. ff. de accuſation. Magnificus, Ampliſſimus & Conſultiſſimus Dn. Præſes Colleg. Criminal. Diſp. 1. theſ. 9.* qualia ſunt, læſa majeſtas, adulterium, homicidium, veneficium &c. hæc propriè ac ſpeciali vocabulo vocantur Crimina, *d. l. 17. §. noxas. 18. ff. de Ædilit. edict. l. aliud ſmus. 131. in fin. ff. de V. S.*

II.

Privata ſunt, quæ privatam agendi formam habent, nec aliquâ lege publica ſunt effecta. *Magnif. Dn. Præſ. d. loc.* Horum privatorum delictorum ab Imperatore Gajo in *l. ex maleficio. 4. ff. de oblig. & act.* quatuor recenſentur ſpecies: FURTUM, RAPINA, DAMNUM & INJURIA, ac ſpecialiter vocantur delicta, per *d. l. 17. §. ff. de Ædil. edict. l. 131. in fin. ff. de V. S.* prout elegantèr *Vultejus in princ. I. de Oblig. quæ ex del. naſc. n. 6.* quamvis interdum Criminis, ut & Delicti vocabulum generaliter uſurpetur, ut videre eſt ex *§. placuit. 7. I. de Oblig. quæ ex del naſc. l. quoties. 1. § ult. ff. de Pœnis. l. Lex eſt. 1. ff. de LL. l. Manichæos. 4. §. ſed nec. 6. in fin. C. de hæret. & manich. l. in criminibus 1. C. ſi adverſus delict.* Sed quia de hiſce delictis omnibus in unâ eâdemque Diſputatione commodè & ſufficienter tractari vix poteſt, placuit hâc vice prioribus ſepoſitis de poſteriori, Injuriâ nempe, brevem inſtituere diſſertationem.

III.

Quoniam autem prior verborum, potior verò rerum In Jure noſtro habenda eſt ratio, *l. ſcire leges. 17. ff. de LL. l. ſi quis ita. 3 §. 9. ff. de adimend. vel transfer. legat. l. Juris. 1. ff. de J. & J. l. E re eſt. 1. ff. de reb. credit.* & omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliquâ re inſtitutio, debet à definitione proficiſci. *Cic. lib. 1. offic. in princ.* quippe quâ benè cognitâ in perceptionem ipſius rei facilè provehimur; teſte Philoſopho *4. Metaphyſ. text. 10.* & Scaligero *Exercit. 1. princ.* Nos cum definitio ſit duplex, vel Nominis, vel Rei, & illa abſolvatur Ethymologiâ & Homonymia, ab his non immeritò initium facientes aſſerimus, Injuriam ex eo eſſe dictam, quod jure & juſtitiâ careat, quaſi non juriam: *l. Injuria 1. in pr. ff. h. t.*

IV.

Injuriæ vocabulum variam ſortitur ſignificationem, ſumitur enim vel generalitèr, vel ſpecialitèr. Generaliter acceptum dicitur omne id quod non jure factum eſt, ſed quocunque modo tam juri & æquitati naturali; quam civili adverſatur, hâcque ſignificatione omnia delicta, publica & privata, quia contra jus fiunt, injuriæ vocari poſſunt, *princ. l. & d. l. injuria 1. princ. ff. h. t.* Græci παρανομίας, & τὸ παράνομον dicunt. Specialitèr ſumtum in triplici uſurpatur ſignificatione: Nam primò denotat iniquitatem & injuſtitiam quam exercet judex iniquè & injuſtè ſententiam dicens; is enim injuriam accepiſſe intelligitur contra quem pronunciatum eſt, *l. qui proprio nomine. 46 § 4. ff de procuratorib. d. l. injuria. 1. pr. ff. h. t.* Hæc injuria à Græcis *ἀνομία, καὶ ἀδικία* appellatur. Secundò injuria idem eſt quod damnum culpâ alterius nobis illatum, & peculiari nomine damnum injuriâ datum indigitatur *t. t. ff. & J. de L. Aquil.* Græci interpretes *ἀδίκημα* vocant. Tertiò deniq; injuria accipitur pro contumeliâ, à contemnendo ſic dictâ, *princ. l. & d. l. injuria. l. ff. h. t.* quia nemo, niſi quem contemnit, afficit tali injuria, ut loquitur Seneca *lib. 2. de tranquillitate vitæ cap. 11.* Græcis eſt ὕβρις, à Germanis **Eine Schmach oder Leſterung** appellatur.

V.

Et hoc poſteriori ſignificandi modo accepta injuria non incommodè poteſt definiri delictum privatum doloſâ contumeliâ in alterius, & quidem liberi hominis corpus, dignitatem famamque commiſſum, *l. ſed ſi unius. 17. §. cum ſervus 4. ff. l. injuriarum 7. & l. ult. C. h. t.* item *l. Lex Cornelia 5. §. ſi quis. 9. in verb. dolove malo l. illud relatum 3. §. ſanè. 1. & l. Injuria. 1. §. omnemque. 2. ff. eod. Magn. f. & Ampliſſ. Dn. Præſes, Colleg. Crim. Diſp. 2. th. 15.*

VI.

Ex hâc definitione apparet requiri ut dolo malo, & quidem contumeliæ cauſa fiat injuria, ex affectu enim facientis conſiſtit, *d. l. illud relatum. 3. §. ſanè. 1. l. item apud. 15. §. ait prætor. 25. ff. h. t. l. ſi non convicii. 5. C. eod. l. ſed & ſi. 5. § fin. ff. ad L. Aquil. l. qui ſervum. 34. princ. ff. de Oblig. & Act.* qui tamen abeſſe intelligitur, vel ex conditione Perſonæ, vel ex cauſſa faciendi: Ex conditione Perſonæ abeſſe cenſetur affectus injuriandi, ſi dolus in eam non cadat, cujus conſequens eſt: Infantem, impuberem doli nondum capacem, mente captum & furioſum injuriam facere non videri, *d. l. 3. §. ſanè. 1. ff. h. t. l. impuberem 23. ff. de furt. d. l. ſed & ſi 5. §. & ideò. 2. ff. ad L. Aquil. l. infans. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

VII.

Hoc etiam ad prodigum nonnulli extendere conantur: Sed perperàm, non obſtante eo, quod furioſo comparetur in *l. Fulcinius 7. §. idemq; 12. ff. quib. ex cauſſ. in poſſeſſ. eatur. l. is cui bonis 6. ff. de Verb. Oblig* & ſic primâ fronte propter injuriam non conveniri poſſe videatur; nam hæc æquiparatio ſaltem ſecundum quid, non per omnia locum habet, nimirum quoad contractus, alienationes & bonorum adminiſtrationem, in quibus prodigus neque finem neque tempus expenſarum ſervans, dilacerando ac diſſipando furioſum facit exitum: In delictis autem furioſo nequaquam eſt æquiparandus, ſed quia doli capax cenſetur, ordinariæ pœnæ ſubjiciendus. *Bachov. in Treutl. vol. 2. Diſp. 30. th. 6. lit. A. Fachin. controv. lib. 2. cap. 68.*

IIX.

Sed quid de ebrio ſtatuendum? Non defuerunt, qui ebrios conviciis alios proſcindentes duplici pœnâ afficiendos exiſtimaverunt, quia principium delinquendi eſt in ipſis ebriis cũ habeant poteſtatem abſtinendi à nimio potu: Unde Pittacus Philoſophus ille Mitylenæus, unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus dixit, majori pœnâ ebrios, ſi quem pulſaverint debere affici, quod in eorum poteſtate fuerit non inebriari. Non deſunt etiam qui nimiâ æquitate ducti ebrium, quia ob perturbationem nec rationis, nec mentis eſt compos, *cap. à Crapula Ext. de Vita & honeſtate Clericor. c. ſanè. c. inebriaverunt, cauſ. 15. q. 1. c. venter. Diſtinct. 35.* actione injuriarum non teneri, ſed excuſationem mereri autumant, per *l. omne delictum 6. §. qui ſe. 7. ff. de re militar. l. perſpiciendum 11. §. delinquitur 2. ff. de Pœnis.* Verum nos cum *Gaillio lib. 2. Obſerv. 110. n. 27, & 29.* hanc controverſiam diſtingvendo inter ebrietatem & ebrioſitatem dirimendam arbitramur, quarum illa ex caſu quodam & ignorantiâ, hæc verò ex habitu vitioſo naſcitur, ita ut præter intentionem in ſummo ebrietatis gradu conſtitutus, cujus nec manus, nec pes ampliùs ſuo fungitur officio, actione injuriarum conveniri nequeat; Ebrioſus verò, ſi ſciat ſe ebrium hoc vitio laborare, ut turbas excitet aliosque conviciis proſcindat, maximè teneatur.

IX.

Quod ſi fortè accidat ut dormiens loquatur, & ſic verba contumelioſa in aliquem evomat, quæritur an injuriarum teneatur? Nos minimè eum teneri cenſemus, tum quia dormiens citra omne voluntatis arbitrium peccat, delicta autem ex perversâ nocendi cupiditate, animique propoſito æſtimari debent, *l. frater. 1. C. ad L. Corn. de Sicar.* & mortuo ſimilis eſt ſecundum illud Poetæ *lib. 6. Æneidos:*

Dulcis & alta quies, placidaq; ſimillima morti.

Et alibi:

Mors homini facilis dulcisq; ſimillima ſomno.

adeò ut Frater mortis à Galeno, Senecâ & Heſiodô vocetur. Tum quia amenti ac furioſo æquiparatur, *l. poſſeſſio 1. §. furioſus*

3 ff.

3. ff. de acquir. vel amitt. poſſ. ff & Clement. 5. cap. un. de Homicid. voluntar. Weſemb. in pamt. ff. h. t. n. 4. Jodoc. Damboud. in prax. rer. crim. c. 139 n. 12. p. 361. Julius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. q. 60. n. 12. Rittersb. ad §. patitur. 2. I. h. t.

X.

Ex causâ faciendi abeſſe præſumitur affectus injuriandi in Parentibus, Præceptoribus, Patronis, Cognatis &c. Nam licet ab his quid, quod aliàs per ſe injurioſum eſt, dictum factúmve fuerit, tamen corrigendi, monendi, docendique gratiâ hoc feciſſe videntur *l. ſed & ſi. 5. §. final. ff. ad L. Aquil. l. item quæritur. 13. §. item Julianus, 4. ff. Locati l. aut facta. 16. §. cauſa. 2. ff. de pœnis l. prætor edixit 7. §. præterea 2. ff. h. t. l. ſi filius. 3. C. de patr. poteſt.* atque ratio ſangvinis & affectionis tollit injuriæ præſumtionem, *l. falſus 11. §. Julianus. 3. ff. quod falſ. tut. author. &c.* adeò ut injuriarum conveniri non poſſint, niſi in his modum excedant; Filius tamen in patriâ poteſtate adhuc exiſtens, nec de atroci injuriâ contra parentes agere poteſt, *d. l. 7. §. ſed & ſi quis. 3. ff. h. t.* Magiſtratus quoque, qui ratione officii ſui quippiam ignominioſum contra aliquem decernit, vel exequitur, non videtur injuriandi animo hoc facere, ſiquidem juris executio non habet injuriam, *l. injuriarum. 13. §. is qui 1. & §. quæ jure 6. l. quod reipubl. 33. ff. h. t.*

XI.

Si verò Magiſtratus, ſive Judex officii ſui limites excedens aliquem injuſtè lædat, eúmve indebitè in carcerem conjiciat, & apertè conſtet privato quodam odio hoc fieri, haud dubiè actione injuriarum conveniri poterit, *l. nec magiſtratus. 32. ff. h. t. arg. l. quemadmodum. 29. §. 7. ff. ad L. Aquil.* nam etſi carcer verbis legum non infamat, captura tamen perſonæ injuriam continet, atque ejus exiſtimationem & dignitatem minuit, *arg. l. de cuſtodiâ. 1. ff. de cuſtod. & exhibit. reor.* quia in cuſtodiâ detentus, quodammodo liberâ voluntate privatur, adeoque in ſervitute eſſe videtur, *l. nihil enim. 2. ff. de hom. liber. exhibend.* unde carcer mala manſio nominatur in *l. ſi hominem 7. in pr. ff. depoſiti.* Cujus ferè non minor metus, quàm mortis, eſſe ſolet *arg. l. nec timorem. 7. §. proinde. 1. ff. quod metus cauſ. Mynſing. obſerv.*

cent.

ne. 5. Obſ. 69. n. 5. & ſeq. Fachin. Controverſ. Jur. lib. 9. cap. 87. pag. (mihi) 551. ſub lit. D. Hænon. Diſp. 11. ad tit. ff. de R. J. ſub reg. 152.

XII.

Præterea is, qui joci colludendique causâ quid injurioſum protulit, vel ſervum ſuum ferire volens invitus in adſtante percuſſit, injuriarum non tenetur, quemadmodum nec is qui in certamine aliquem verberavit, quia hoc non injuriæ, ſed virtutis & gloriæ causâ feciſſe videtur, *l. illud relatum. 3. §. 3. & l. ſeq. 4. l. item apud. 15 §. meminiſſe. 23. ff. h. t.* In dubio tamen omne verbum itemque factum ſui naturâ contumelioſum animo injuriandi prolatum, & factum præſumitur, niſi contrarium probetur, *l. ſi non convicii. 5. C. h. t.* quia talis præſumitur animus, qualia verba ſunt prolata, *l. Labeo ait. 7. § Servius. 2. ff. de ſupellect. legat. l. non aliter. 69. in princ. ff. de legat. 3.* debet itaq; reus probare, ſe animo injuriandi id non dixiſſe, vel feciſſe. *Magnificus, Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. Ordinarius, D. Dominicus Arumæus, Præceptor, Patronus atq; Promotor meus multis nominibus ſuſpiciendus. Diſp. Pand. 24. theſ 16 Weſembec. in paratit. ff. h. t. num. 8.*

XIII.

Quod ſi neque conjecturis, neque aliò penitùs modo probari queat injuriandi animum abfuiſſe, num juramenti purgatorii delatio locum habeat, quæritur? Nos judicem conſideratis perſonis & injuriæ circumſtantiis reo tale juramentum purgationis deferre poſſe non dubitamus, per *l. lex Cornelia. 5. §. hâc lege. 8. & l. non ſolum 11. §. injuriarum. 1. in fin. ff. h. t.* quoniam injuria abſque animo injuriandi non committitur, innocentia verò juramento, cum in animo & conſcientia conſiſtat, optimè probari poteſt, *l. non damnatos. 18. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l. furti. 6. §. ſed & ſi. 4. ff. de his qui not. infam. cap. fin. ext. de Jurejurand. cap. paſtoralis 4. in fin. ext. de Exceptionib. Magnific. Dn. Præſes Colleg. Crim. Diſp. 2. th. 17. Gail. d. lib. 2. Obſervat. 106. n. 4. Borcholt. ad §. non ſolum. 11. I. h. t. n. 4. in fin. & in Tract. de Jurejurand. c. 5. n. 20. Beuſt. ad l. nam poſteaquam. 9. §. ſi damnatur. 2. n. 18. ff. de Jurejurand.*

XIV.

Omnis injuria vel re fit, vel verbis, *§. injuria 1. I. & l. 1. §. 1. ff. h. t.* Unde à Dd. rectè dividitur in realem & verbalem, *Magnific. Dn. Præſes Coll. Crim. d. Diſp. 2. th. 15 Hillig. Donell. enucl. lib. 15. cap. 24. lit. B. Bachov. in not. ad Treutl. Diſp. 30. th. 5. lit. C. Sutholt. Differt. 16. Aphoriſm. 52.* Realis committitur quoties manus alicui inferuntur, vel alio quocunque facto injuria infligitur, *d. §. injuria. 1. I & d. l. 1. § 1. ff. h. t.* Id quod accidit vel in ipſum corpus, vel extra corpus *d. l. 1. §. omnemq. 2. l. ſed eſt quæſtionis. 9. in princ. ff. h. t.* In ipſum corpus, cum quis pugno ignominiosè pulſatur, aut fuſtibus cæditur, vel verberatur, *d. §. 1. I. h. t.* Ubi contra Laurentium Vallam *lib. 6. Elegantiar. cap. 46.* inter Pulſare & Verberare hæc notanda venit differentia, quod hoc fit cum dolore conjunctũ, illud verò ſine dolore fiat, *l. Lex Cornelia. 5. §. inter. 1. ff. h. t.* Item in corpus injuria dicitur inferri, quando quis crines, aut barbam alterius expilat, *§. ſi quis aliquem, de pace tenendâ & ejus violatorib. lib. 2. Feud.* vel ſimo lutóve eum ſpurcat, aut cœno contaminat, *l. ſollicitatores 1. §. 1. ff. de extraord. criminib.* Item cum quis malo medicamento alicujus mentem alienat & ad inſaniam impellit, *l. item apud. 15. pr. ff. h. t.* & ſimilibus modis.

XV.

Extra corpus fit injuria, quando quis citra corporis ſui contumelioſam tractationem facto quodam deſpicitur. Hoc contingit vel habitu, vel geſtu, vel alio quodam actu. Habitu, ſi quis alterius causâ injuriosè luctum & mœrorem ſimulet, vel quaſi opprimatur & vexetur ab illo, vel quaſi doleat conditiõnem ejus, cum innocens ſit, & reus per calumniam fortaſſe judicio delatus, quo facto ſimul quodammodo teſtari videtur, verè illum crimini eſſe obnoxium: Vel etiam ſi jam reverâ reus ſit, non autem is qui facit ex numero eorum, qui inviti in reum teſtimonium non dicunt, *l. veſtem 39. ff. h. t.* de quibus agitur in *l. Lege Juliâ. 4. & ſeqq. ff. de Teſtib.* Hujus autem luctus ſigna hæc ſunt: ſi quis veſte lugubri vel ſqualidâ utatur, moris enim apud Romanos fuiſſe ut provinciales à magiſtratibus læſi ejusmodi ſqualore veſtium ad commovendam miſericordiam uterentur.

ren-

rentur, notat *Hilliger Don. enucl. lib. 15. cap. 24. lit. F.* item ſi quis barbam capilloſque demittat, prout apparet ex Svetonio *in vitâ Augusti: Adeò conſternatum ferunt, ut barbâ capilloq; ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret vociferans, &c.* & ex verbis Ovidii:

Aſpice demiſſos lugentis more capillos!

Itaque ſi quis hujusmodi ficti mœroris indiciis publicè utatur, aut perſonam alterius agat atq; repræſentet injuriæ faciendæ & invidiæ concitandæ cauſâ, injuriarum tenetur *l. item apud. 15. §. generaliter. 27. d. l. veſtem 39 ff. h. t.*

XVI.

Geſtu fieri dicitur injuria, ſi quis geſtibus in deſpectum & ignominiam alterius compoſitis ei illudat; veluti ſi lingvam exſerat, oculos diſtorqueat, faciemq; deformet: aut ſi quis manus in aliquē levet quaſi jamjam verberaturus, vel quocunque modo minetur geſtibus, quaſi lapidē, cantharū, fuſtem, cādelabrum, haſtam, cultrum, gladiū, aut ſimilia inſtrumenta in eum vibraturus: etiamſi minas actu non compleat, *d. l. item apud. 15. §. ſi quis pulſatus. 1. ff. h. t.* item ſi quis medium digitum, vel manu ſublatâ ungvem pollicis ſub indice digito poſitum alicui oſtendat; illud vulgò Ciconiam pinſere, hoc Itali Ficum facere, vocitant. *Magnif. Dn. Præſes Coll. Crim. d. Diſp. 2. th. 16. lit. D. Hilliger Donell. enucl. lib. 15. cap. 24. in not. lit. F. Petr. Greg. Tholoſan. Syntagm. Juris Civ. lib. 38. cap. 3. n. 25. Weſemb. in paratit. ff. h. t. n. 7. Rittersh. ad §. 1. I. h. t.*

XVII.

Alio quodam actu infertur injuria vel propriè, vel minus propriè. Propriè veluti ſi alterius bona tanquam debitoris, qui tamen debitor non eſt, poſſideantur ab eo, qui intelligit nihil illum ſibi debere §. *injuria. 1. I. & d. l. item apud. 15. §. ſi quis bona. 31. ff. h. t.* vel etiam ſi verus creditor domum abſentis debitoris propriâ authoritate ſignet, *l. ſi injuria. 20. ff. h. t.* vel ſi quis ſine juſtâ & rationabili cauſâ vexandi animo aliquem ad tribunal interpellet, *l. injuriarum 13 §. ſi quis. 3. ff. h. t.* item ſi inferior vicinus ſuperioris fumigandi gratiâ, fumum faciat, vel ſuperior in inferiores ædes ſtercora, fimum, aut alios pædores & ſordes

injuriæ cauſâ mittat *l. ſi inferiorum. 44. ff. h.t.* Præterea qui ali quem re propriâ uti prohibet (Ex.gr. uvam in vineâ ſuâ legere, lectam calcare, calcatam exprimere, &c.) injuriam committit, *l. qui pendentem. 25. ff. de Act. empt. & vend. l. ſi quis proprium. 24. ff. h. t.* quemadmodum & is, qui alterum in mari, vel flumine publico piſcari, aut navigare prohibet, niſi à populo jus piſcandi in eo ſit alicui locatum, item qui alterum in campo publico ludere, aut in publico balneo lavare non patitur, *l. injuriarum. 13. §. ſi quis me. 7. ff. h.t. l. Prætor ait. 2. §. ſi quis in mari. 9. ff. ne quid in loc. publ. &c.*

XIIX.

Minus propriè actu fit injuria, quando factum per ſe quidem non eſt injurioſum, iteratione tamen & verborum uſu accedente tale efficitur. Puta, ſi quis matremfamiliâs, aut prætextatum, prætextatámve adſectatus fuerit: ſive pudicitia alicujus attentata eſſe dicetur, *d. §. injuria. 1. I. h.t.* Prætextatum autem & prætextatam hîc accipimus pro juvenibus ipſo habitu ingenuitatem præ ſe ferentibus, adeò ut omnis excuſationis occaſio delinquenti præcidatur. Adſectatur qui contra bonos mores tacitus frequenter inſequitur quocunque vadat prætextata; hæc enim aſſidua frequentia quandam parit infamiam, *l. item apud. 15. §. aliud eſt. 22. & §. ſeq.* Attentat qui id agit ut ex pudicâ impudica fiat, i.e. qui blando ſermone pudorem alicujus attrectat, eamque ad nefandam venerem ſollicitat, *l. attentari. 10. d. l. item apud. 15. §. appellare. 20 ff. h.t.*

XIX.

Verbalis injuria fit, cum quis ad alterius ignominiam verba contumelioſa dolo malo effundit, atq; ita ejus æſtimationē lædit. Quod accidit verbis vel vivâ voce prolatis, vel ſcripto vulgatis, *l. injuria. 1. §. 1. l. Lex Cornelia 5. §. ſi quis librum. 9. ff. h.t.* Verbis voce prolatis: ſi quis alterum appellet latronem, furem, nebulonem, falſarium, infamem, ſpurium ſeu baſtardum, homicidam *l. ſi non convicii. 5. C. h t. Weſemb. in paratit. ff. h. t. n. 8. Schneidw. ad §. injuria 1. I. h.t. n. 7. Harprecht. eod. n 52.* Proditorem, *Julius Clarus lib. 5. ſent. §. injuria n. 2.* delatorem, *l. ſi non eſt nunciator 3. C. h.t.* Cornutum ſeu Cucurbitam (i. e. talem, qui

uxo-

uxorem ſuam mœchis permittit, connivetque, ut alii uxore ſuâ turpitèr abutantur) *Petrus Binsfeld. cap. 1. de injur. & damno dato. quæſt. 9. Concluſ. 4.* Denique quicquid dicitur in contumeliam alterius, quod vel apud bonos viros infamiâ facti eû gravet, vel reddat contemptibiliorem, etiamſi per ſe non ſit criminoſum, pro injuriâ habetur: Utputa, ſi alicui vitia naturæ exprobrentur, ex. gr. ſi quis dicat, tu gibboſe, tu ſtrabe, tu monocule, tu cœce, tu luſce, tu loripes, tu claude, tu pediculoſe, & ſimilia. *d. l. item apud. 15. § generaliter 27 ff. h. t. Magnif. Dn. Præſ. Colleg. Crim. d. Diſp. 2. th. 16. lit. G. Damboud. in prax. rer. crim. c. 138.*

XX.

Ergóne & is, qui divitem mendicum, ſive inopem vocavit actione injuriarum pulſari poterit? Et poſſe, non dubitamus, moti *d. l. item apud. 15. §. ſed quod. 5. & §. generaliter. 27. ff. h. t.* Siquidem dignitati & exiſtimationi noſtræ multum detrahit paupertas, imò eâ ſordeſcimus, deprimimur, vileſcimus, *l. quisquis. 5. §. filii verò. 1. in fin. C. ad L. Jul. Majeſtat. cap ſi qui teſtium. 8. extr. de Teſtib. & atteſtationib.* adeò ut in paupertate & inopiâ conſtituti facilè quæque facere præſumamur, ut ab eâ, vel in totum liberemur, vel ſaltem aliquâ ex parte ſublevemur, ac proinde ſæpiùs & veriſimiliùs nos pecuniâ corrumpi patiamur, egentiſſimo enim omnia cum pretio honeſta videntur, *inquit* Saluſtius *in Jugurth.* cui adſtipulatur Horatius *lib. 3. Carm. Od. 24.*

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere, & pati,
Virtutisq; viam deſerit arduæ!

Unde in teſtimonio ferendo minor fides pauperibus, quam locupletibus tribuitur, & in examine teſtium, inter cætera, teſtis de divitiis interrogari ſolet, h. e. quantum habeat in bonis *l. teſtium. 3. in princ. ff. de teſtib.* Idque praxi receptum eſſe, tradit *Schneidw. ad princ. I. Qui & ex quib. cauſ. manum. non poſſ. n. 11. & Harpr. ad §. Injuria. 1. I. h. t.* Quinetiam in negotiationibus & contractibus minorem inopiâ laboranti haberi fidem, apparet ex *l. ſi creditores. 16. ff. de privileg. Creditor.* & ipſa teſtatur experientia.

Item impingens alteri mendacium, dicendo: Tu mentiris, illum injuriâ conſpurcat, *arg. l. quæ omnia. 25. ff. de procuratorib. Gail. d. lib. 2. obſ 101. n. 1.* quamvis circa eam rem fiat, quæ ipſi neque lucrum, neque alteri detrimentum affert, *arg. l. item apud. 15 §. generaliter. 27. ff h. t. Harprecht. ad §. 1. I. eod.* Nec excuſationem meretur proteſtatione præmiſsâ, vel ſubjectâ, ut ſi dicat: Salvâ reverentiâ tuâ, tu mentiris: vel tu mentiris ſalvâ exiſtimatione tuâ, &c. Quia talis proteſtatio eſt contraria facto, quæ nihil operari poteſt, *l. ſi quis extraneus. 21. in princ. ff. de Acquir. vel omit. heredit. cap. ſolicitudinem. 54. in fin. ext. de Appellationibus, &c. cap. ſicut noxius eſt. 1. ext. de præſumptionib.* nam fortiora ſunt verba injurioſa frigidâ proteſtatione ſic ſimulatè concepta, quæ parum relevat injuriaſum, imò cum ſit ironica contumeliam magis auget; Oriuntur enim contra injuriantem duæ præſumptiones, altera ex verbis injurioſis, altera ex defectu probationis, quæ unam, quod non injuriandi animo dixerit, elidunt. Ita communi Dd. calculo receptum eſſe teſtatur *Gail. d. loc.* conſentit *Magnif. & Nobiliſſ. Dn. D. Arumæus Diſp. ad ff. 24. th 15. Ampliſſimus & Conſultiſſimus Dn. D. Riemer p. m. Illuſtr quæſt. Dec. 12. q. 9. Weſembec. in parat. ff. h. t. n. 8. Julius Clarus lib. 5. ſent. §. injuria. n. 13.*

XXII.

Non minùs elegans, quàm inter Dd. vexata hîc ſe offert quæſtio, utrum veritas convicii, ſive objecti criminis injuriantem excuſet? Quod cum *Magnif. Dn. Præſide ſæpiùs alleg. Diſp. 2. Colleg. Crim. th. 21. lit. E. Tholoſan. Syntagm Juris Civ. lib. 38. c. 5. n. 7. Forſtero part. 1. Diſp. fin. th. 13.* negandum puto *per l. ſi non convicii. C. h. t. l. un. verſ. ſanè ſi quis &c. C de famoſ. libell.* & per Artic. 110. Der peinlichen Halsgerichts Ordnung Keyſer Carls des V. ibi: Vnd ob ſich auch gleichwol die auffgelegte Schmach der zugemeſſenen That in der Warheit erfünde/ ſol dennoch der Ausruffer ſolcher Schmach/ nach vermögen der Rechten/ vnd ermeſſen des Richters geſtraffe werden. Quia à parte conviciantis eſt injuria, *l. illudre-*

latum. 3. §. *ſanè.* 1. *ff. b. t.* & à parte læſi major fermè offenſio, quam ſi falſum crimen ipſi fuiſſet exprobratum, ſiquidem omnium dolorum dolor eſt acerbiſſimus, ſi quis eorum quæ patitur, cauſam ipſe præbuit, teſte Gvevarr. *lib. 3. Horolog princ.* Quod etiam Ovidius *in Metamorph.* annuit his verbis:

Pudet hæc opprobria nobis;
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.

Nec diſtingvo, an expediat Reipubl. crimen propalari, vel non, quia pravus revelantis animus rem efficit iniquam *c. cum miniſter.* 14 *& c. Relegentes* 45. *Cauſ.* 23 *q.* 5. *l. Lege Corneliâ.* 1 §. *Divus.* 3. *ff. ad L. Cornel. de Sicar. & l.* 1. *C. eod.* Nam ſi ei Reipubl. ſalus curæ & cordi eſſet, in revelando crimine debitum modum & locum, prout boni viri officium poſtulat, attenderet.

XXIII.

Sed hactenus de injuria reali, & verbali quæ dicto expeditur: Sequitur nunc verbalis quæ ſcripto vulgatur; Hæc eſt vel verè ſcripta, vel quaſi ſcripta. Injuria verè ſcripta fit, quoties verba contumelioſa, non quidem ore proferuntur: Sed tamen quoquo modo in ſcripturam rediguntur, *Vultej. lib. 1. Juriſprud. Rom. c* 49. Hâc vel contumeliâ ſaltem quis afficitur, citra infamiæ notam: ut ſi cui ludibrii cauſâ ſcripto objiciatur, quod ſit pediculoſus, giboſus, cæcus, luſcus, claudus, mendicus &c. & in ſpecie vocatur injuria ſcripta: Vel notabile aliquod atq; famoſum crimen alicui impingitur: ut ſi quis fur, raptor, leno, &c. appelletur, & tunc dicitur Famoſus libellus. *Weſemb. in par ff. b. t. n.* 19.

XXIV.

Eſt igitur Famoſus libellus ſcriptura, quâ alicui ad ejus infamiam ignominioſum aliquid doloſè objicitur, *l. Lex Cornelia.* 5. §. *ſi quis librum.* 9. *&* § *ſeq. ff. b. t.* §. *injuria.* 1. *I. eod. Bocerus in commentar. ad L. un. C. de famoſ. libell. cap.* 1. Libellus dicitur forſan ex eo, quod inſtar libelli accuſationis contineat crimen aliquod magnum, & accuſatione dignum, & aliquem ſine judice, & judicio publicè quaſi accuſet, *arg. l. un. C. de famoſ.*

moſ. libell. Aliàs vocatur Pasquillus, Germanicè ein Paßquill/ oder Schmachſchrifft/ à Pasquillo, vel (ut alii ſcribunt) Pasquino ſartore quodam Romano, virulentiæ vitio, & maledicentiæ flagitio notiſſimo, quod apud illius tabernam ſtatuæ marmoreæ erectæ, ejusmodi chartas famoſas homines maledici noctu affigere ſolebant, uti referunt *Boer. in d. c. 1 n. 2. Marquard. Freber. in tract. de Exiſtim lib. 3. c. 9. Hillig. Donell. enuclear. lib. 15. cap. 24. lit. D. Webnerus in Obſervat. Pract. lit. P. ſub voc.* Paßquill. *p. 545.*

XXV.

Ex præcedentibus conſtat requiri, ut in famoſo libello notabile aliquod crimen, quod alioquin importat infamiam, exprimatur. Unde in quæſtionem opportunè venit: Utrum ſit famoſus libellus, ſi quis in ſcripto ſpurius vocetur. Nos cum *Weſemb. in paratit. ff. h. t. n. 19.* negativam ſententiam veritati magis conſentaneam eſſe judicamus: Quia ſpurius neque juris, neque facti infamiâ laborat, non ſolum ſi quæramus de Jure Civili, per *l. ſpurii, 6. in princ. ff. de Decurionib.* Sed etiam de Jure Canonico, ſi modo ipſe integer vitæ, ſceleriſquè purus ſit, nec vitia parentum imitetur, per *C. 3. 4. 5. 6. 8 12. 13. & 14. Diſtinction. 56.* nam infamiam omnem factum, ſeu actiones noſtræ pariunt *arg. princ. I. de Oblig. quæ ex del. naſc. l. aliud. 131. ff. de V. ſign. l. crimen 26. ff. de Pœnis. l. ſancimus. 22. C. eod.* Atqui ſpuriis nulla facti, vel nativitatis illegitimæ cauſa poteſt adſcribi, quia ex fornicatione naſci non eſt culpa naſcentis, ſed generantis, *d. c. 4. & 5. Diſtinction. 56.* Interim tamen non negamus, quin ſpurius apud graves & honeſtos viros videatur levi quâdam maculâ aſperſus, *arg. l. generalitèr 3. §. ſpurios. 2 ff. de Decurionib. Magnif. Dn. D. Arum. de Jure Public. vol. 3. Diſcurſ. 18. th. 3. lit. B. Hænon. Diſp. 9 th. 8. Treutl. vol. 2. Diſp. 16. th. 3, lit. E.*

XXVI.

In famoſo autem libello nil refert, an nomine authoris ſubſcripto, vel alieno, ficto & diſſimulato nomine edatur, quia de ſubſtantia libelli famoſi non eſt, ut in eo non ſit expreſſum nomen ſcribentis, prout arguit textus in *l. Lex Cornelia, 5. §. ſi quis librum 9. verſ. Etiamſi alterius nomine addiderit, vel ſine nomine,*

ne,&c. Nam quod loquatur JCtus in *d.* §. de libello famoſo, verba initialia : *ſi quis librum ad infamiam alicujus pertinentem ſcripſerit*, &c junctâ *rubricâ* Tituli, ſatis evincunt. Inſuper huc faciunt verba der Policey Ordnung zu Franckfurt Ann. 1577 Tit. 35. §. vnd ſetzen ordnen/etc. ibi: Es habe der Author ſeinen Namen darunter geſetzt oder nicht/etc Major enim illius impudentia videtur, qui nomine adjecto gloriam ex infami, & turpi facto, aucupari apud alios rerum imperitos non erubuit: tantum abeſt, ut ideò excuſatius ſit delictum. *Weſ. in par. ff. b. t. n. 19 Damboud. in prax. rer. crim. cap. 140. n. 2 p (mihi) 363.*

XXVII.

Idem de famoſo libello in quo nomen diffamati non eſt expreſſum ſtatuendũ eſſe putamus, quia & hoc caſu appoſitio, vel omiſſio nominis ad delicti ſubſtantiam parùm confert, ſed ſufficit ſi modo ex indiciis ſufficientibus appareat, vel ita demonſtratum ſit nomen diffamati, ut indagatione aſſequi poſſit, in cujus perſonæ infamiam conditus ſit libellus *l. Quod SCtum. 6. & l. item apud Labeonem. 15. §. cui non. 9 ff. b. t.* Siquidem magis eſt ſpectandum, in quem voluntatis intentio dirigatur, quã cum quo quis loquatur, nec intereſt proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, vel quibusdam vocabulis demonſtretur, uti loquuntur *l. cum pater 77. §. Donationis. 26. ff. de Legat. 2. & l. certum. 6. ff de reb. credit. Bocer. in d. commentar. cap. 2 Harprecht ad §. 1. I. b. t. Schneidw. eod. Dambouder. in prax. rer. crim. cap. 140. n. 3.*

XXIIX.

Quaſi ſcripta injuria eſt ea, quæ fit picturâ, quâ nulla quidem exprimuntur verba, ejusmodi tamen aliquid in infamiam alterius pingitur, ex quo mens & injuriandi animus facilè deprehendi queat, *l. Lex Cornelia. 5. §. eadem pœna. 10. ibi: Aliúdve quod ſine ſcripturâ in notam aliorum produxerit. & l. item apud Labeonem. 15. § generaliter. 27. in verb. Quodcunq; quis fecerit, vel dixerit, ut alium infamet, &c. ff. b. t.* Ex. gr. Si quis pingatur ad furcam ſciſſis veſtimentis, vel ſi quis obſcœnas picturas in alterius infamiam, in aliquo loco ponat, &c. Hujusque picturæ famoſæ eadem eſt conditio & pœna, quæ famoſi libelli (de quâ in-

ſtrà dicetur) *d.l.Lex Cornelia.5.§.eadem.10.ff.b.t.* Reichsabſchied zu Augſpurg/Anno 1530 §. Vnd nach dem durch die vnordentliche Druckerey/ꝛc ibi. Schmähſchrifft/ Gemälde oder dergleichen. item An. 1548. Tit. von Schmäheſchrifften/Gemälden/ etc R. A. zu Speyer Anno 1570. §. Zum andern/ ſol kein Buchtrucker/&c. ibi: Mit gleichen Straffen vnd Ernſt/ ſol auch gegen den jenigen ſo läſterliche ſchmähliche Gemählde machen/etc. PoliceyOrdnung zu Franckfurt Anno 1577. Tit. 35. Von Buchtruckern/Schmähſchrifften ſchmählichen Gemählden/etc ibi: Bey denen ſolche Bücher/Schmähſchrifften oder Gemählde/ etc.

XXX.

Pro perſonarum, loci, temporis & facti qualitate ac circumſtantiis, injuriarum aliæ ſunt majores ſive atrociores, aliæ minores ſive leviores §. *atrox 9. I. & l. Prætor edixit 7. §. atrocem. 8. ff. b. t.* Ratione perſonarum injuria æſtimatur atrox, quam filius, vel libertus, Patri, vel Patrono, diſcipulus Præceptori, ſervus libero homini, ſubditus magiſtratui, vel humilis & levioris cõditionis homo ei, qui in dignitate cõſtituꝰ eſt, infert, *l. itẽ apud. 15. §. quod ait 28. l. ſed ſi unius 17 § quædam. 3. ff. b. t. l. ſi quis 10. C. de Epiſc. & Cler. l. aut facta. 16. §. perſona. 3. & l. capitalium. 28. §. omnia. 8. ff. de pœnis.* Ratione loci dupliciter conſtituitur atrox: vel ex loco urbis, in quo injuria infertur, ut ſi quis in loco publico, foro, theatro, cœmiterio, in plateis publicis, aut in cõſiſtorio, &c. afficiatur injuriâ, *d. §. atrox. 9 I. & l. ſed eſt. 9. §. ſed & ſi. 1. ff. b. t.* vel ex loco vulneris, ut ſi cui facies, vel oculus vulneretur, aut lædatur, *l. vulneris. 8 ff. b. t.* Ratione temporis aggravatur injuria, quando fit tempore feſtivitatis nuptiarum, convivii, ludorum, diebus feſtis, interdiu, &c. *d. l. Prætor. 7 § 8 ff. b. t. l. atrocem. 4. C eod. d. l. aut facta. 16 §. tempus. 5. ff de pœnis.* Facto denique, ſive re ipsâ atrocior eſt injuria, vel in corpore, ſi fiat ſimul cum effuſione ſangvinis, ita ut offenſus magnoperè egeat curatione, item ſi quis, etiam ignobilis, inhumanitèr cæſus, aut fuſtibꝰ contuſus ſit, *d. §. atrox. 9. I. & d. l. 7. § fin. cum l. ſeq. 8 ff b. t. l. ſed ſi hâc. 10. §. Prætor. 12. ff de in jus vocand.* vel extra corpus, ſi quis famoſo libello traducatur, *l. un. C. de famoſ. libell.* Ex his, quæ dicta ſunt de atrocibus, facilè colligi poterit quænam ſint inju-

riæ

ciæ leves, *arg. princ. I. & l. de jure 1. in princ. ff. de his qui ſui, vel alien. jur. ſunt. §. furtorum. 3. verſ. nec manifeſtum. I. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

XXX.

Traditis modis inferendi injuriam, ſequitur juſto ordine videre de perſonis, quibus ea infertur. Hæ patiuntur injuriã vel immediatè per ſe, vel mediatè per alias perſonas, *§. patitur autẽ 2. I. h. t.* Immediatè & per ſe, veluti: ſi directò ipſi patrifamiliâs, vel matrifamiliâs fiat injuria, ſive abſenti, ſive præſenti *l. item apud 15. §. convicium. 7. ff. h. t.* Et quod amplius eſt, per ſe & immediatè patiuntur etiam eæ perſonę injuriã, quæ doli captu, & cõtumeliæ affectu carentes injuriam aliis inferre nequeũt, ut ſunt impuberes, mente capti, furioſi, & dormientes, *l. illud relatum. 3. §. ſanè. 1. & ſeq. ff. h. t.* Quin & non ſolùm ſingulæ perſonæ injuriam patiuntur, eamque actione perſequi poſſunt, ſed etiam Univerſitas, vel Collegium, *arg. l. cum qui nocentem. 18. § fin. ff. h. t.*

XXXI.

Mediatè patitur quis injuriam per alias perſonas vel ratione poteſtatis, vel ratione affectus ei ſubjectas *d. l. injuria. 1. §. itẽ aut 3 ff. h. t.* Et quidem ratione poteſtatis vel patriæ, vel dominicæ. Patriæ poteſtatis ratione, penè magis periclitatur per corpus filii pater, quàm filius *§. ſed veteres fin. I. de noxal. actionib & arg. l. iſti quidem. 8. §. fin ff. quod met. cauſ.* unde injuria quæ liberis fit, per conſequentiam etiam vergit in contumeliam patris, ita ut patri & filio actio injuriarum naſcatur: Poteſtq; pater duplici actione & filii, & ſuiipſius nomine experiri *l. pater. 41. ff. h. t.* nam licet ipſi filiofamiliâs actio quæſita ſit, *d. l. 1. § idem ait. 9 ff. h. t.* tamen pater habet exercitium actionis reſpectu patriæ poteſtatis, niſi ubi filius agit ex L. Corneliâ. *l. Lex Cornel. 5. §. illud quæritur. 6. & §. ſeq. ff. h. t.* vel pater nullo relicto procuratore abſens eſt, vel non idoneus, *l. ſi longiùs. 18. §. 1. ff. de judiciis. l. ſed ſi unius. 17. §. filiofamiliâs. 11. cum §§. ſeqq. ff. h. t.* Si verò filius patiatur volens injuriam, patri quidem competit actio, non autem filii nomine, quia volenti injuria non infertur. *d l. 1. §. uſq; adeò. 5. & l. ſi quis ſervum. 26 ff. h. t. l. in diem. 9. ff. de aqu. & aq. pluv. arc.*

XXXII.

Limitantur hæc procedere, quando filius adhuc in ſacris paternis eſt conſtitutus, *d.§.patitur.2.I. b.t.* nam ſi eſt emancipatus, eique injuria fiat, pater actionem inſtituere nequit, quia filium non habet in poteſtate, & per conſequens non intelligitur injuriatus, *d.l ſed ſi unius.17.§.ſed ſi pater.14. cum §.idem ait. fin ff.b.t. & arg. l. cum qui. 18. §. at cum aliquis. 4.eod.* Ex his duo nobis colligere fas eſt. Primum eſt: Patrem de injuriâ illatâ filio naturali tantùm, injuriarum agere non poſſe, quia eum non habet in poteſtate, *arg.princ.I.de patr.poteſt.l item in poteſtate.3. cum l ſeq.ff. de his qui ſui vel alien.jur.ſunt. Mynſing.ad §.2.I b t. n.3.* Alterum Matrem de injuriâ liberis illatâ agere pro ſùs prohiberi, quia liberos etiam naturales & legitimos ſimul in poteſtate minimè habet, ſicut conſtat ex *§ fœminæ 10 I.de Adopt.§ ceteri.3. I.de hered.qual. & differenː l.nulla.13 ff.de ſuis & legit her.*

XXXIII.

Dominicæ poteſtatis ratione patitur injuriam dominus per ſervum, eique competit injuriarum actio duobus caſibus. Primus, quando injuria ſervo facta in dominum redundat, & apertè ad contumeliam & ſuggillationem ejus reſpicit, *l. ſi quis ſervum.26 ff.b.t.* Alter, quando atrocius quid in ſervum cōmiſſum eſt, ut ſi atrocitèr verberatus, vulneratus, aut mutilatus ſit; *l. item apud 15.§ prætor ait.34. & §. itaq; prætor.44 ff. b. t.* Servis autem ipſis quoad effectum juris civilis, cujus conſideratione nullam perſonam, multò minùs dignitatem aut exiſtimationem habent, ſed pro mortuis habentur *§.ſervus.4. I.de cap.deminut.l.liberos.3.ff.eod. l.quod attinet.32.ff.de R.J. l.intercidit. 59. §. fin ff.de condition.& demonſt.* & quadrupedibus æquiparantur *l. Lege Aquiliâ. 2.§.ut igitur. 2.ff. ad L. Aquil.* nulla infertur injuria, *§.ſervis.3. I b.t.* ita ut actionem proprio nomine habeant, quanquam judex, ſi quid eis fiat, non debet relinquere inultum *d.l.15.§.ſi quis ſic fecit 35.ff.b.t.* Sed aliis ceſſantibus ex officio ad delicti animadverſionem progredi, *l congruit. 13.princ.ff.de offic. præſid. Schneidw.ad §.3. I.b.t.* Et hæc quidem de ſervo proprio dicta ſunto.

XXXIV.

XXXIV.

Si ſervo duobus vel pluribus communi injuria facta ſit, omnibus quidem dominis injuriarum actio competit, *d.l. item apud.15. §. ſi ſervum fin.ff.h.t.* At, licet alioqui communis ſervus dominis acquirat pro portione dominicâ *§.fin.I.& l.ſervus 5 ff. de ſtipul. ſervor.* injuria tamen ipſi illata non pro eâ parte, quâ quisque dominus eſt, ſed pro conditione ac dignitate cujusque æſtimari debet, *§ ſi communi 4. I.h.t.* quia dominis, non ſervo injuria fieri intelligitur, *d.§ ſervis 3.* & injuriæ æſtimatio variat ex dignitate perſonæ cui facta eſt, *§ pœna 7. I.eod.* Si verò par ac ſimilis fuerit omnium dominorum perſona & conditio, æſtimatio fiet pœnaq; dividetur æqualiter. Hæc procedunt ſi extraneus injuriam ſervo fecerit. Nam ſi dominus ipſe in ſervum ſuum quem cum aliquo habet communem, tale quid admiſerit, jure domini non contumeliæ causâ feciſſe videbitur, *d.l.15. § ſi communem.38.ff. h.t. & l.meritò 51.ff.pro ſocio.*

XXXV.

Cæterùm quid dicendum, ſi in ſervo alius proprietatem, alius uſumfructum habeat? Concludimus quod proprietario actio injuriarum competat, tum quia ei magis quàm uſufructuario injuria facta intelligitur, *l. item apud.15 §. ſi uſumfructum. 47.ff.h.t.§ quod ſi uſusfructus. 5. I. eod.* tum quia uſufructuario ſervus nihil acquirit, quam quod ex operis ſuis, vel ex re uſufructuarii provenit, *§. de iis autem. 4 I per quas perſon. nob. acquir.* & per conſequens nec hujusmodi quæſtum extraordinarium, qui ex ſervi verberatione obvenit. Si verò expreſsè conſtet contemplatione uſufructuarii injuriam factam eſſe, ipſe actionem habet, *d.l.15 § penult ff h.t.* Eâdem diſtinctione utimur cum libero homini nobis bonâ fide ſervienti, mercenario, vel famulo noſtro injuria fit, ut toties nobis actio concedatur, quoties reſpectu noſtrûm infertur, nam aliàs ipſe ſaltem ſuo nomine experiri poteſt, *d.l.15 §. penult ff.h.t.& §. ſed ſi libero. 6.I.eod. Magnif. Dn. D. Arum. Diſp.ff.24.th.12. Schneidwin. ad § 5.& 6.I.h.t.n. 2. Petr. Heig. eod.n 6.*

XXXVI.

Ratione affectus patitur injuriam 1. Maritus per uxorem,

l.injuria.1.§.item aut. 3.ff.h.t. uxor enim dignitatem à marito conſequitur *l.fœmina.8.ff. de ſenatorib. l.mulieres.13.C.de dignitat.* unde qui uxoris dignitatem violat, ſimul mariti dignitatē, quæ in eâ ineſt, violare intelligitur. Non tamen vice verſâ injuria viro illata ſtatim ad uxorem pertinet, ita ut eam vindicare poſſit, quia uxores à viris, non viros ab uxoribus defendi æquū eſt, *§.patitur.2.I.h.t.* & ſexus verecundia lites ſectari, ac in forenſibus verſari negotiis non patitur. *l. hunc titulum.1.§.ſecundo loco.5.ff. de poſtuland. l fœmina.2 ff.de R.J.l.maritus 21.C.de Procuratorib.* Hæc quæ dicta ſunt de uxore in ſponsâ quoque locū habent, quia ſimul ad ſponſi contumeliam reſpicit, quæcunque injuria ſponſæ ejus fit, *l.item apud.15.§ ſponſum.24 ff.h.t.* 2. Afficitur injuriâ ſocer per nurum, quæ nupta eſt filio in poteſtate adhuc conſtituto, & hoc caſu per ipſius mariti perſonam actio patri acquiritur, *d l.1.§.item aut.3 ff.h.t.* Ex his apparet, ſi filiæfamiliâs nuptæ injuria illata ſit, quandoque tribus, quandoqꝫ quatuor competere actionem, ita ut una aliam non conſumat, *d.l.1.§.fin. l.eum qui nocentem.18 § ſi nupta.2 ff h.t. d.§.patitur.2.I. eod.* Si modò injurians ſcivit eam nuptam eſſe, nam ſi ignoravit aliud dicendum eſt, *d l.18.§. at cum 4 ff h.t.* 3. Patitur injuriam heres poſt aditam hereditatem per funus, aut cadaver teſtatoris, ſpectat enim ad exiſtimationem heredis, ſi qua defuncto fiat injuria. *d. l.1.§. & ſi forte.4. cum §. quoties.6. & l.ſi ſtatua.27.ff.h.t.*

XXXVII.

Hactenus quoque dictum eſt de perſonis quibus injuria poteſt inferri; Supereſt igitur ut videamus, quomodo eam illatam vindicare poſſint. Ubi imprimis ſciendum eſt, de omni injuriâ eum, qui vel per ſemetipſum, vel per alias perſonas paſſus eſt, agere poſſe aut civiliter, aut criminaliter, *§.in ſumma.10. I.h.t. l.prætor.7.§.poſſe.6.ff. & l.fin.C.eod.* ita tamen ut ſi civiliter actum ſit, poſteà criminaliter agere non liceat, & contrà ſi actio criminalis inſtituta ſit, non detur regreſſus ad actionem civilē, *l.quod Senatum.6.ff.h.t.* Nam utraqꝫ actio ad vindictam tendit, & neutra rem familiarem, ſeu damnum pecuniarium concernit, *l.cum emancipati.2 §.4 ff.de collat. bonor. d. l.prætor.7.§.1.ff.h.t.*

ac proinde meritò unius electione altera tollitur, quia bona fides non patitur, ut bis idem exigatur, aut pro eodem delicto aliquis bis puniatur, *l. licet gratis. 6. §. poſſimus. 4 ff. naut. caup. ſtabular. & c. l. ſanctio. 41. ff. de pœnu. l. bona fides. 57. ff. de R. J.* Civiliter autem agitur quando actor injuriam æſtimat ac certam pecuniæ quantitatem, pœnæ loco reo imponi, ſibique ſalvâ tamen moderatione & taxatione judicis applicari petit, *§. pœna 7. & § in ſumma. 10. I. b. t.* ibique Dd. communiter.

XXXIIX.

Criminaliter agitur, quando injuriâ affectus petit injuriantem officio judicis vel puniri in corpore, vel in pœnam pecuniariâ fiſco applicandam condemnari, *§. in ſumma. 10. I. b. t. Myn-ſing. & Dd. eod.* Et hoc caſu poteſt judex accuratè ponderatâ delicti ac circumſtantiarū qualitate pro arbitrio reum punire vel exilio, vel relegatione, vel ordinis amotione, *l. qui injuriarū 43. ff. b. t.* itemque certæ rei interdictione coercere, vel fuſtibus, ſi humilis ſit perſona ſubjicere, *l. item apud. 15. §. idem ait 30. & l. de injuria ult ff. h. t.* vel etiam ſi atrocitas graviſſimi & exorbitantis facti requirat, pœnam ad mortem usque extendere, *arg. l. ſunt quædam 9 ff. de Extraord. nar. criminib. l. Lex Julia 7. §. hodiè. 3. ff. de L. Jul. repetund. ar. & l ſacrilegii. 6. in princ. ff ad L. Jul. Peculat. junctâ l. Lege 4. § mandatis. 2. eod.* debent enim pœnæ commenſurari delictis, ne quid aut duriùs, aut remiſſiùs ſtatuatur quàm æquitas poſtulat, *l Pedius. 4 §. Divus. 1. ff de incend. ru-in. naufrag & c. l. perſpiciendum. 11. l. hodiè 13. ff. de pœnis, Damboud. in prax. rer. crim. cap. 139. n. 18 p. 362. Jul. Clar. lib. 5 ſentent. § fin. q. 68. n. 25.*

XXXIX.

Quemadmodum verò modi injuriam inferendi ſunt diverſi, ita etiam ex diverſo jure diverſæ pœnæ ſunt introductæ. Nam olim ex L. XII. tabularum propter membrum ruptum erat talio, h. e. ſimilis & reciproca perpeſſio, quam tamen reus evitare poterat paciſcendo cum adverſario, prout ex verbis L. apparet, quæ ita concepta fuit: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto, Gellius Noct. Atticar. lib. 20. c. 1.* Propter os fractum nummariæ pœnæ erant conſtitutæ *§. pœna autem. 7. I. b. t.* Reli-

quas injurias L. XII. tab. 25. aſſibus æſtimabat his verbis: *Si injuriam alteri faxit, viginti quinq; æris pœnæ ſunto, Gellius d. loc.* Et hæ quidem pœnæ tunc temporis ſatis fuerunt acerbæ, tanquam in magnâ veterum paupertate, ut loquitur Imp. *in d. §. pœna 7. I. h. t.*

XL.

Sed poſtquam creſcente hominum malitiâ, & facultatibus civium auctis, divites hanc pœnam pro ludibrio habebant, ut refert exemplum *Gellius d. l. b. 20. cap. 1.* ex Labeonis commentar. in LL. XII. tabb. Lucii Neratii, qui pro delectamento habuit os liberi hominis, ut quisque offerebatur manus ſuæ palmâ verberare, annumeratis ſtatim à ſervo, qui illum ſequebatur crumenam aſſium plenam portitans ſecundum XII. tabb. viginti quinque aſſibus, ne ampliùs quicquam poſſet conqueri: Juſtiſſimè his pœnis exoleſcentibus, quippe quæ maximam deliquendi occaſionem ditioribus præſtabant, cum reus nullã pertimeſcat culpam, quam nummis exiſtimat redimere, *Can. Pauper. 72. Cauſ. 11. Quæſt. 3.* ex edicto Prætoris alia pœna eſt introducta, permiſſumque iis, qui injuriam paſſi ſunt, eam æſtimare, ut judex vel tanti reum condemnet, quanti actor æſtimaverit, vel minoris, ſecundum gradum dignitatis perſonarum, & vitæ honeſtatem, aliasq; attributiones & circumſtantias *§ pœna 7. & §. atrox. 9. I. h. t. l. ſed ſi unius 17. § ſervus 2 ff eod.*

XLI.

Condita eſt inſuper Lex Cornelia à Cornelio Sylla, *l. hos accuſare 12. §. fin. ff. de Accuſationib.* quæ quidem ob injuriam realem in tribus ſaltem caſibus locum habet; nempe ſi quis pulſatus, verberatúsve aut domus ejus vi introita ſit. *§. ſed & Lex Cornelia. 8. I. h. t. l. Lex Cornelia. 5. in princ. ff. eod.* Quod obtinet ſive in domo propriâ, ſive in conductâ, vel gratis poſſeſſâ, quis habitet, ſive ad aliquod tẽpus hoſpitio receptus ſit, in hâc enim Lege domum accipimus nõ ſolum pro proprietate domus, ſed pro domicilio, ſeu quâcunque habitatione, *d. l. 5. §. domum. 2. & §. ſi tamen. 5. in verb. Ego puto. ff. h. t. l. qui domum 8. ff ad L. Jul. de Adulter. l. in Lege. 203. ff. de V. Sign.* adeò ut nec ſub prætextu in jus vocandi alienam domum invitô domino introire liceat,

quia

quia domus tutiſſimum cuiq; eſſe debet refugium atq; receptaculum, *l. qui in domum. 23. ff. h. t. l. plerig; 18. ff. de in jus vocand.*

XLII.

Pœna famoſi libelli ex L. XII. tabb. erat capitalis, ut teſtatur *Cicero lib. 4. de Republ.* his verbis: *Noſtræ 12. tabulæ cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoq; ſanciendam putaverunt, ſi quis carmen condidiſſet, quod infamiam faceret.* Quæ pœna poſtea à Divo Auguſto mutata videtur, qui, cum ne ipſi parcitum eſſet, inpoſterum cenſuit cognoſcendum de iis, qui libellos aut carmina ad infamiã cujuspiam edidiſſent, ut videre eſt ex *Svetonio lib. 2. cap. 55.* Sed & ex SCto & L. Corneliâ authores famoſorum libellorum inteſtabiles eſſe jubentur, *l. lex Cornelia. 5. §. ſi quis librum. 9. & §. ſeq. ff. h. t.* ita ut neque teſtamentum facere, neque teſtimonium ferre poſſint, *l. is cui lege. 18 §. fin. ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. ob carmen. 21. ff. de teſtib.* Tandem ex Conſtitutione Impp. Valentiniani & Valentis denuò facta eſt capitalis hujus delicti pœna, *l. un. C. de famoſ. libell.* quæ tamen hodiè ita limitatur ac reſtringitur ut obtineat, ſi in libello famoſo grave aliquod & capitale ſcelus alicui objectum ſit; Secùs ſi crimen objectum capitali pœnâ non ſit dignum, tunc enim pœna talionis locum habet, eâdemque pœnâ diffamator plectitur, quâ crimen, ſi verum probaretur, veniret puniendũ, Peinliche Halsgerichts Ordnung K. Carls des V. d. Artic. 110. Et licet quidam Interpp. *d. l. un.* non de ultimo ſupplicio, ſed de morte ſaltem civili exaudiendam eſſe contendant, quia capitis pœnâ in jure civili non præcisè caput naturale vitaque adimitur, ſed etiam caput civile libertas nempe, aut civitas tollitur, *l. rei capitalis. 2. in pr. ff. de pœnis. l. 2. ff. de publ. judic. § publicorum. 2. I. eod. l. licet. 103.* ibique Gœddæus *ff. de V. S.* in obſcuris verò & dubiis ſemper id, quod minimum eſt ſequi expedit, *l. ſemper 9. ff. de R. J.* atque in pœnalibus cauſis mitior &

cienter probat *l. Raptores 54. in princ. & fin. C. de Epiſc. & Cler. l. non ſolum. 2. C. de commerc. & mercat. l. fin. C. de vet. numiſmatis poteſt. lib. 11. junctâ l. ſi quis 2. C. de falſ. monet.* Et hæc lex un. C. de fam. lib. ut & Conſtitutio Carolina, cum per noviſſimos Imperii Receſſus nõ ſit abolita nominatim, ſed potiùs approbata ſuum vigorem adhuc obtinere cenſetur, *arg. l. præcipimus. 32. §. ult. C. de appellat.* referunt enim ſe illi Receſſus expreſsè ad priora jura. Reichsabſchied zu Augſpurg de Ann. 1548. §. Ferner ſetzen/ etc. in fin. ibi: Sol der Author, &c. Vermög der Recht/ vnd je nach Gelegenheit vnd Geſtalt der Sachen darumb geſtrafft werden. Reichsabſchied zu Speyer de Anno 1570 §. Zum andern/ &c. ibi: Sol er an Gut/ oder ſonſten nach Geſtalt vnd vermög gemeiner Rechten vnnachläſſlich geſtrafft werden/ etc. Policey Ordnung zu Franckfurt/ de Anno 1577. Tit. 35. §. Vñ ſetzen/ ordnen/ etc. ibi: Sol der Author, &c. vermög der Recht/ vnd je nach Gelegenheit vnd Geſtalt der Sachen geſtrafft werden. Reichsabſchied zu Erffurt de Anno 1567. auffgericht. §. Demnach ferner/ &c. in fin. ibi: Alles bey Peen vnd Straff der obgemeldter gemeinen beſchriebenen Recht/ vnd des Reichs Ordnungen.

XLIII.

Hodiernâ conſvetudine receptum eſt, & in Cameræ Imperialis ordinatione comprobatum: ut is qui injuriam paſſus eſt ad παλινῳδίαν; ſeu recantationem & revocationem verborum injurioſorum agat, Kayſerliche Cammergerichts Ordnung Part. 2. Tit. 28 §. Vnd ſonderlich ſetzen/ &c. verſ. Doch ſollen die Sachen Injuriarum in denen auff Wiederruff geklagt/ &c. An autem talis actio civilis, vel criminalis ſit controvertitur? Prius verius videtur *Magnif. Dn. Præſidi Colleg. Crim. d. Diſp. 2. theſ. 20. lit. D. Magnific. Dn. Frantzkio Ex. 10 q. 8. Ampliſſ. Dn. Riemero p. m. Dec. 12. q. 10.* tum quia neque ad pœnam corporalem, neque ad pœnam pecuniariam fiſco applicandam tendit, ſed eſt quaſi rei perſecutoria ad famam verbis proſciſſam reſtituendam, ac proinde poteſt cum æſtimatoriâ injuriarum actione cumulari, teſtibus *Mynſing. ad §. 10. I. b. t. n. 11. & Cent. 2. obſ. 98. & Gail. lib. 1. obſ. 65. n. 5.* tum quia in Camerâ Imperiali nulla cauſa criminalis re-

recipitur: de hâc verò reclamatoriâ actione quotidiè cognoſcitur, *Mynſing. & Gail. alleg. loc.*

XLIV.

Poſtremò ſciendum eſt, quod injuriarum condemnatus ſive civiliter, ſive criminaliter actum ſit, notetur infamiâ, *l. Prætoris 1. ff. de bis qui not. infam. l. prætor. 7. in princ. ff. h. t. l. infamem 7. ff. de public. judic. l. Non damnatos. 18. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* æquitas enim ſvadet, ejus honori non parcere, qui petulanter alterius honori inſultare non erubuit. Quod tamen limitatur, ut non obtineat, ſi quis ob modicam ſeu levem injuriam condemnatus ſit, *arg. l. perſpiciendum. 11. princ. ff. de pœnis. l. ad tempus. 5 ff. de Decurionib. junct. l. Divus. 40 ff. h. t. Magnif. Dn. Præſes d. Diſp. 2. th. 20. lit. E. Harprecht, ad §. 10. I. h. t. n. 93.* Vel ſi reus per procuratorem actione civiliter intentatâ ſe defendat, quo caſu in procuratorem ſententia profertur, tanquam in dominum litis, eoque condemnato, nec ipſe, neque dominus infamiâ notatur, *l. Athletas. 4 §. fin. l. furti. 6. §. ſi quis. 2. ff. de bis qui not. infam.* actione verò criminaliter motâ illuſtribus ſaltem perſonis ex Zenonianâ conſtitutione permiſſum eſt, per procuratores ſe defendere, *l ſi quando. ult. C h. t. Nov. 71. c. ſancimus. 1* Vel denique ſi reus ante condemnationem injuriæ æſtimationem perſolvat. *l ſi reus. 73 ff. de procuratorib. §. fin. I. de perpet. & temporal. act. Weſemb. in parat. ff. de bis qui not. infam. n. 9. Gail. lib. 2. obſ. 103.*

XLV.

Cuinam injuriarum actio detur, ex iis quæ ſuprà de perſonis quibus injuria infertur dicta ſunt, ſatis conſtat; Supereſt igitur, ut videamus adverſus quem detur. Datur autem non ſolùm adverſus eum, qui injuriam ipſe intulit, ſed etiam contra illum qui dolo malo procuravit, mandavit, operámve adhibuit ut fieret, *§. non ſolum. 11. I. h. t. l. non ſolum. 11. §. ſi mandato. 3. & §.*

arum. 13. in princ. ff. h. t. l. ſi eum 10. §. qui injuriarum 2. ff. ſi quis caut. in judic. ſiſt. &c. quia regulariter ex maleficiis actiones pœnales in heredes rei non competunt, §. *non autem. 1. I. de perpet. & temporal. act. &c. l. pupillum. 111. §. 1. ff. de R. J.* Siquidem peccata ſuos debent tenere authores, non alios, *l. ſancimus. 22. C. de pœnis.* Lite verò cum defuncto conteſtatâ hæc actio in heredes omninò eſt tranſitoria, quippe litis conteſtatione & perpetuantur, & in heredes transmittuntur actiones, *d. §. 1. verſ. pœnales. I. de perpet. & temp. act. l. injuriarum. 28. ff. h. t. l. omnes. 26. & l. conſtitutionibus 33. ff. de obl. & act. l. nemo. 87. l. omnes. 139. l. pœnalia. 164. ff. de R. J. Weſemb. in par. ff. h. t. n. 12. Petr. Gregor. Tholoſan. ſynt. Juris. lib. 38. cap. 7. n. 5. Schneidw. ad §. 1. I. de perpet. & temp. act. n. 1. Mynſ. eod. n. 9.*

XLVI.

Libelli famoſi crimen adeò deteſtabile eſt, ut non tantùm ille, qui compoſuit, edidit, dolóve malo fecit, vel mandavit, ut tale quid fieret, ejus reus cenſeatur & ordinariæ pœnæ ſubjaceat, ſed etiam is, qui famoſum libellum ab alio compoſitum, vel in publico, vel quocunque loco ignarus reperit, nec ſtatim corrupit, vel combuſſit, ſed vim ejus aliis manifeſtavit, *l. un. C. de famoſ. libell.* item is, qui eum vendidit, vel emendum vendendúmve curavit, *l. Lex Cornelia. 5. §. eadem. 10. ff. h. t.* quemadmodum & is, qui hujusmodi libellum non compoſuit, ſed ſaltem alio componente & dictante ſcripſit, ut colligitur *ex d. l. Lex Cornelia. 5. § ſi quis librũ. 9. ff. h. t. ibiq; Gothofred. in not. lit. H. Schneidw. ad §. injuria. 1. I. h. t. n. 1. Härprecht. eod. n. 189.* De Jure noviſſimo typographis ac bibliopolis excudentibus & vendentibus ejusmodi chartas famoſas & picturas interdictio negotiationis & opificii unà cum amiſſione librorum eorundem, nec non aliâ inſuper pœnâ pro magiſtratus arbitrio imponi debet, Reichsabſchied zu Augſpurg de Anno 1548. Tit. Von Schmähſchrifften/&c. ibi: Bey Niderlegung ihres Handwercks/ auch einer ſchweren Peen/ nemlich N. Gülden jhren ordentlichen Obrigkeiten vnablässlich zu bezahlen/etc. Reichsabſchied zu Speyer Anno 1570. §. Zum andern/&c. ibi: Bey hoher Straff/ ſo wol Verluſt der Bücher vnd Truckereyen/ etc. PoliceyOrdnung zu

Franck.

Franckfurt/de Anno 1577. Tit. 35. § Wann wir nun/&c. ibi: Daß hinfüro alle Buchtrucker/Verläger oder Händler/bey Niederlegung ihres Handwercks/auch einer ſchweren Peen/nach Ermeſſigung ihrer ordentlichen Obrigkeit vnnachläslich zu bezahlen/ keine Bücher in Truck ausgehen laſſen ſollen / dieſelben ſeyen dann zuvor durch ihrer ordentlichen Obrigkeit darzu Verordnete beſichtigt / daß ſie nicht auffrühriſch oder ſchmählich / es treffe gleich hohe oder niedere Stände/gemeine oder ſondere Perſonen an/vnd deshalben approbirt vnd zugelaſſen.

XLVII.

Cum in jure noſtro non ſit infrequens, ut poſtquam expoſitum eſt, quomodo aliquid conſtituatur, confeſtim etiam ſubjiciatur, quomodo illud iterum diſſolvatur, *arg. tit. I. quib. mod. Jus Patr. pot. ſolv. tit. I. quib. mod. tutel fin. & tit. I quib. mod. teſtam. infirm.* Ita & nos, quoniam hactenus quibus modis injuria inferatur, illataque vindicetur luſtravimus, quomodo illa aboleatur ac perimatur diſpiciemus. Abolетur autem variis modis: nam injuriarum actio vel ab initio impeditur, vel nata tollitur. Impeditur, ſi is qui injuriam patitur ſtatim ad animum ſuum non revocat, ſive non reputat pro injuriâ, nec ullum de ſe oſtendit indicium, quod hujusmodi injuriam ægrè ferat, ſed ridet & familiarem ſe injuriatori exhibet, *l. non ſolum. 11. §. 1. ff. b. t. §. hac actio. fin. I. eod. ibiq; Schneidew. n. 1.*

XLIIX.

Nata tollitur, aut inter vivos, aut morte. Inter vivos aboletur remiſſione tam tacitâ, quam expreſſâ, adeô ut ſemel remiſſa ex pœnitentiâ revocari nequeat, *l. qui res. 98. § aream 8. ff. de ſolut. & liberat. §. hac actio. fin. I. b. t. Vultej. eod. n. 3.* Remittitur autem expreſſè quando injuriatus apertè voluntatem ſuam de remittendâ injuriâ declarat, *l. ſed ſi unius. 17. §. ſi ante. 6. ff. b. t.* nemo enim prohibetur gratis injuriam ſuam remittere. *l. mariti*

ff. de Pactis. Vel etiam quando reus ſolvit actori id, quod injuriæ nomine petere poterat, nam qui ſatisfactionem accepit, injuriam ſuam remiſiſſe dicitur *in d. l. ſed ſi unius. 17. §. ſi ante 6. ff. h. t.*

IL.

Ex prædictis reſultat hæc quæſtio: Num poſſit pater filiofamiliâs invito injuriam remittere in præjudicium filii? Nos cum *Facbin. lib. 9. controv. jur. cap. 42. & Hænon. Diſp. 18 th. 30.* eam tantùm pro quâ competit actio prætoria à patre remitti poſſe, adeò ut filius poſteà emancipatus eam reſuſcitare nequeat per *d. l. ſed ſi unius. 17. §. planè ſi præſens. 12 ff. h. t.* putamus, niſi filii perſona honeſtior ſit quam patris, ſordidus enim pater non debet filio generoſo quandam degeneris humiliſque animi notam, facili injuriarum remiſſione inurere, *d. l. 17. § interdum. 13. ff. h. t.* Illam verò injuriam, pro quâ filiofamiliâs datur actio ex L. Corneliâ, pater remittere non poteſt, *arg. l. nemo plus juris. 54 ff. de R. J.* actio namque filio competit, non patri, nec patris conſenſus requiritur, ut filius agere poſſit, *l. Lex Cornelia. 5. §. illud. 6. & §. ſeq. ff. h. t.*

L.

Tacitè remittitur injuriarum actio duobus modis. Primò: Diſſimulatione, quando quis ab initio quidem ad animum revocavit injuriam, poſtea tamen ex intervallo amicè ſalutat injuriantem, cum eo confabulatur, convivatur, ludit, bibit, vel dextram ei porrigit, nam hujusmodi actus familiaritatis injuriæ gratiam eſſe factam arguunt, *l. ſed ſi unius. 17. § ſi ante. 6. verſ. Nam etſi nudâ voluntate. & l. non ſolum. 11. §. injuriarum. 1. ff. h. t.* Secundò: Præſcriptione unius anni, *l. ſi non convicii. 5. C. h. t.* quia actio de quâ jam loquimur ex edicto Prætoris deſcendit, quales plerumque ſunt annales, quia & ipſius Prætoris intra annum erat imperium, *princ. I de perp. & temp. act. &c.* Annus autem in hâc actione non eſt continuus ſed utilis, quia Prætor regulariter actionibus à ſe introductis annum utilem præſtituere conſvevit, *l. item ſi. 14. §. in cauſa. 2 ff quod met. cauſ. l. interdũ. 19. ff. de minorib. l. Prætor. 1. in princ. ff. quando de pecul. act. annal. eſt, l. ſi dolo. 1. princ. ff. ſi is qui teſtam. liber eſſe juſſus erit, &c.* Ac-

cedit quod præſcriptio ob negligentiam non agentium inducta cenſetur, ne lites ſint immortales, *arg. l. bono publico. 1. ff. de uſurp. & uſucap. & l. Uſucapio. fin. in pr. ff. pro ſuo.* Atqui ignoranti nulla poteſt imputari negligentia, *arg. l. genero. 8. ff. de his qui not. infam.* Ergò, deficiente negligentiâ, deficiet ipſa præſcriptio. *Bachov. in Treutl. vol. 2 Diſp 30. th. ult. lit. E. F. & G. Fachin. controv. lib 9. cap. 8. Hanon. ad Inſt. Diſp. 18. th 31. Sutholt. Differt. 16. Aphorism. 68.*

LI.

Sed de eô acriter diſceptatur, utrum injuriarum actio ex L. Corneliâ introducta, ut & actio famoſi libelli ex *l. un. C. de famoſ. libell.* deſcendens, itidem lapſu unius anni ſicut Prætoria præſcribantur, an verò ſint perpetuæ? Nobis poſterius arridet, ob hanc ſolidam rationem, quod omnes actiones civiles, quales ſunt quæ ex Lege, Senatusconſulto, & ex Sacris Conſtitutionibus proficiſcuntur ſint perpetuæ, *princ. I. de perp. & temp. action.* Atqui hæ duæ actiones ſunt tales, Ergò. *Magnif. Dn. Praeſes Coll. Crim ſæpius alleg. Diſp 2. th. 21 lit. D. Bachov. in Treutl. vol 2. Diſp. 30 th. ult. lit. E. F. & G.* Ob eandem rationem etiam recantatoriam actionem perpetuam eſſe contendimus, eſt enim conſvetudine introducta, quæ Juris civilis ſpecies eſt, *§. conſtat. 3. I. de I. N G. & Civ.* atque vim legis obtinet, *l. de quibus. 32. & l. nam Imperator. 38. ff. de LL.* Quinimò hæc actio eſt rei perſecutoria, ſiquidem ad honoris reſtitutionem tendit; Actiones autem rei perſecutorias non ſolùm civiles, ſed etiam Prætorias perpetuas eſſe, probat, *d. princ. I. de perpet. & temp. act. & c. & l. in bonorariis. 35. ff. de obl. & act.* Harprecht. *ad §. ult. I. h. t. n. 17.*

LII.

Morte aboletur injuria tam injuriantis, quàm injuriati, *l. injuriarum. 13. in princ. & l. item apud. 15. §. injuriarum. 14. ff. h.*

ſur à Regulâ, quâ actiones pœnales hæredibus actoris non denegantur, §. *non autem. 1. I. de perpet. & temp. action. l. civilis. 1. §. heredem. 1 ff. de privat. delict. l. Prætor. 2. §. hæc actio fin. ff. vi bonor. rapt.* Ratio autem ſpecialitatis ſive hujus exceptionis adſcribitur odio, cui hæc actio eſt expoſita propter vindictam quam ſolam perſequitur; non enim rem familiarem concernit, ſeu pecuniæ, quæ ad heredem transmitti poſſit, ſed vindictæ perſecutionem habet, ut propterea minor ad eum non perveniat hereditas, *l. cum emancipati. 2. §. emancipatus. 4. ff. de collat. bonor. l. prætor edixit. 7. §. ſi dicatur. 1. verſ. at in actione ff. h. t.* Et ſic ut alioqui mors omnia ſolvit, *Nov. 22. c. 20.* ita etiam injuriarum actionem extingvit.

Hîc — —
Anchora de prorâ jacitur, ſtant littore puppes!

Deo Ter Opt. Max. Sit Laus Et Gloria, In Sempiterna Secula.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE